

GERMANIA

De Germania clarissima natione & dulcissima patria nostra, multa hic occurrerent scribenda, sed loci angustia cogit nos abbreviare sermonem. Hac itaque insuperiorum & inferiorem, mediante fluvio Mogono, dividitur. Inferior habet hac nostra etate Brabatiam, Holandiam, Hassiam, Vuestphaliam, Saxoniam, Frisiam, Pomeraniam, Prussiam, Thuringiam, Misniam &c. Superior uero habet Alsatiam, Heluetiam, Sueviam, Franconiam, Bauariam, Austriam, Stiriam &c. Inferior eo tempore quo Roma floruit, cultior fuit superiori. Nam scribit Tacitus, Germaniam olim fuisse horridam syluis & paludibus infecundam, frugis rarumq; arborum & omnis culture impatientem, id quod non de tota Germania, sed de ea quam Rhenus & Danubius includunt, dixisse accipendum est. Obducebatur enim tunc ferè tota Suevia, inferior Bauaria & Franconia, Hercynia sylua. Nunc uero tota colitur, adeo ut Hercynie sylue nullæ reliquie supersint, preterquam in locis motosis, ut est in Nigra sylua, in Ottonica, Speshartica & Bohemica sylua. Sed nec loca illa, quam tumlibet horrendam præ se ferant faciem, carent habitatoribus, ciuitatis, arcibus, monasterijs & uillis, praesertim cum ex coniunctibus insignes undicq; amnes procurrant, & cuncti in Rhenum & Danubium ruant, & mirum in modum per eos populus unus alteri ferat opem, adducatq; ea que apud se abundant & alibi desiderantur, qualia sunt, ligna & adificijs apta, metalla, picearum arborum liquor, casei, butyrum &c. quæ ex montosis locis in magna copia in terram planam euehuntur, & pro eis frumentum & uinum reportantur. Quam celebres urbes intra quadringentes annos in superiori & antiqua Germania exortæ sint, nemo est qui id ignorat, nisi qui non uidit Nurnbergam, Ulmam, Herbipolim, Bambergam, Vratislauiam, Ambergam, Norlingam, Heltprunnam, Heidelbergam, Stuckgardiam, Thubingam, Friburgum, & alia penè infinita oppida, quæ intra Rhenum & Danubium post translatum in Germanos imperium sunt extracta. Dici nequit, quantum ista superior Germania in oppidijs, castellis & uicis, arcibus, monasterijs & pagis creuerit post memoratum tempus, ut uix satis loci fuerit tot Ducibus, Lantgravis, Margrauis seu Marchionibus, Burggravis, Palatinis comitibus, Comitibus, Liberis, Baronibus, Nobilibus, Episcopis, Abbatibus & Praepositis, in quos tota Germania, exceptis imperialibus ciuitatibus, quæ Imperatorem dominum agnoscent, est distributa. Multi plebei sub exactoribus istis duram seruiunt servitutem. Porro mores & uestitus Germanorum, tam prælectorum quam subditorum indies mutantur, sanguinarijs militibus semper aliquid noui ex bellis afferentibus. Hinc enim increbuit & incruduit, potandi, iurandi, lacerandi uestes, ociandi & ludendi pessima consuetudo. De Sueviis, Bauariis, Franconibus, Alsatis & Rhenensibus, suis quibusq; dicetur locis.